



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 35va-35vb  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 8 quaeritur utrum daemones possint esse intra corpora humana.

Videtur quod non, quia duo spiritus creati non possunt esse in uno et eodem loco, ut in primo dictum est. Sed anima est in qualibet parte corporis. Ergo daemon in nulla parte corporis esse potest.

Contrarium patet experientia, quia multos daemones vidimus et legitur quod Iesus eiecit multa daemones in Evangelio.

Responsio. Dicendum quod duo sunt videnda. Primo quod daemones possunt intrare corpora humana. Secundo qualiter possunt immutare imaginationes hominis.

Circa primum sciendum quod, sicut dicit beatus Dionysius, divina sapientia coniungit fines primorum principii secundorum; ex quo patet quod natura inferior semper in sui supremo attingit infimum naturae superioris. Natura autem corporalis inferior est natura spiritualium et ideo in sui supremo naturae superiori coniungitur. Inter omnes autem motus corporeos motus localis superior et perfectior est, ut probatur VIII Physicorum, quia secundum ipsum mobile solum est in potentia ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum. Unde ille motus localis nihil variat de re et ideo natura corporalis quaecumque immediate attingitur a natura intellectuali quantum ad motum localem, ut quod ab ea mota. Et quia ubi operatur substantia spiritualis, ibi est, ideo intra corpora hominum possunt esse, in quantum movent ipsa et ipsis etiam illabuntur. Sic patet primum.

Ex hoc statim patet secundum. Cum enim ad motum localem oboediat natura corporalis substantiae separatae, illa proprie subsunt angelo, quae ex motu locali causari possunt, illae autem apparitiones in imaginatione causantur interdum ex locali motione spirituum humanorum. Ergo illa possunt causari a virtute substantiae separatae. Maior patet. Minor declaratur per Philosophum in De somno et vigilia, ubi assignans causam apparitionis somniorum, dicit quod, cum animal dormit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendit motus, idest impressiones relictas ex motibus sensibilium, quae impressiones in spiritibus sensuum conservantur, movent principium sensitivum, in tantum quod homini videtur quod vigilet. Ista est causa quare homo somniat illa libenter quae in vigilia cogitavit. Ista etiam est causa quare homines studiosi et virtuosus consueverunt habere somnia meliora secundum eundem Philosophum. Cum igitur omnia ista fiant per motum localem humorum et sanguinis descendens, apparet quod imaginatione visiones causantur a motu locali; et quia ista, quae dependent et causantur a motu locali, possunt per angelos bonos et malos fieri, ideo ipsi etiam possunt immutare imaginationem nostram.

Ad argumentum dicendum quod operatio, quam efficit anima in corpore, non est eiusdem rationis cum operatione quam facit daemon ut motor vel alius angelus, quia anima est in corpore ut forma, sed daemon ut motor tantum et ideo ibi non est confusio operationis. Sed istud non videtur sufficere, quia anima etiam movet corpus sicut daemon. Ergo quantum ad motum est confusio operationis.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum Deus in istis figuris corporalibus umquam apparuerit. Dicendum breviter quod ipse Deus secundum suam essentiam numquam oculis corporeis videri potuit nec etiam visione intellectiva nisi a beatis, sed sub figuris corporalibus aliquando apparuit. Quae apparitio dicitur /35vb/ facta fuisse ministerio angelorum, quia in omnibus istis apparitionibus corpus formatum est et motum ab angelo, quia secundum Augustinum, illuminationes divinae ad nos non



University of Cologne  
Department of Philosophy  
Thomas Institute



*This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033*

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 35va-35vb  
transcribed by Andrea Colli

pervenierunt nisi mediante caelesti hierarchia; sed tamen aliquando in corpore assumpto dicitur apparere Dominus aliquando angelus.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod cum omnis apparitio corporalis talis sit ad ostendendum proprietates aliquas substantiarum spiritualium, quando igitur angelus, qui illuminat immediate hominem, vult instruere hominem de propria virtute, quam ipse habet et in corpore assumpto exprimit similes proprietates virtutis, tunc dicitur homini apparere ipse angelus inferior. Quando autem vult instruere hominem de virtute divina et etiam superioris angeli, per quam operatur, tunc format corpus assumptum ad exprimendum eminentiam divinae maiestatis vel etiam proprietates superiorum angelorum; et tunc dicitur Deus apparere vel etiam ipse superior angelus; et hoc est quod dicit Gregorius assignans causam illam quare aliquando dicitur Deus apparere et aliquando angelus.

TEACHPO